

tum ratione cibi, sed ratione medicamenti cuiusdam conceduntur. Cauebit ab omni piscium genere, qui capiuntur in paludibus: raro etiam & parca alios comedat, qui in optimis aquis degunt: & non omnis generis, sed quales sunt lucij, marfones, themali, & huiusmodi. Cauebit tamen a frixis in sartagine, non tantum a piscibus, sed omnibus quae hoc modo friguntur: ideo & ova detestabilia sunt, decocta in sartagine. Abstinebit a carnibus salitis cuiuscunque generis: a carne antiqua, sicut bubula, & castratorum antiquorum: abstinebit a carne porcina tanquam a peste: ab omnium auium genere, quae degunt in pulucribus locis, sicut anates & anseres. Fercula eligat, sicut far & oryzam, hordeum, speltam, panicum: omnia ista grana sint optimè decocta in iure optimo: admisceatur aliquid lactis amygdalarum dulcium, vel seminum melonum. In aestate conuenient etiam cucurbitae coctae cum modico cinamomo. Ab acetariis consulo ut abstineat. Fructus parcissimè comedat, non omnium tamen generum, sed aliquid peponis optimi, vel pruni genus, quod vulgò Verdaceum appellatur: ficus etiam optimè maturas, ut in tempore Autumni: pyra decocta cum saccharo: si quandoque etiam comederit pineas post cibum, aut auellanas, dummodò parca id fiat, & bene dentibus conterat, non erit omnino aspernandum. Carnes conueniunt vitulinae, haedinæ, pullorū, nonnunquam etiam columborum iuuenum & pinguium, omnium auium campestrium pinguium, praeter coturnices: nec vitupero carnem lepore iunioris, vel cuniculi, ova sorbilia, vel in aqua decocta, non indurata, si fuerint recentia, & ante cibum exhibita, sunt optimi nutrimenti. Et haec de tota diæta, siue victus ratione sufficiant. Quantum attinet ad medicamenta, quanquam Galenus in 5. Therapeutices curet catarrhum cum sputo sanguinis validissimis purgationibus, nihilominus spectata habitudine nobilissimi iuuenis, corporis gracilitate, hepatis caliditate, & virium omnium imbecillitate, vnum propono, quod illi perpetuò obseruandum erit, si me iudicè sequatur, ut nunquam inclinet animum ad sumenda aliqua medicamenta fortia aut solutiua, in quibus ingreditur aut scammonium, vel colocynthis, vel turbit, vixque assentiat agarico: qui quidem erit summa, & veluti apex omnium suarum medicinarum, vltra quem excedere perniciosum erit: imò nec agaricum temerè sumendum puto: neque solum, aut non praeparatum, ut infra patebit. Laudo igitur, quòd corpus quidem suum saepe expurget, est enim hoc necessarium, cum sit admodum excrementosum. Purgationes verò sint in omnibus qualitatibus moderatè. Simplicia quidem sint, sicut cassia, rhabarbara, manna, medulla cnici, terebinthina, & vltimò agaricum. Composita sint, sicut syrupus rosaceus, vel violaceus solutiuis, electuarium de sebesten simplex, electuarium lenitiuum, quandoque etiam hiera simplex de sex rebus, raro tamè propter nimiam exiccationem. Purgabitur autè purgatione magis exquisita bis in anno, Vere inquam & Autumnò. Forma autem purgandi talis erit:

R. Floris cassiae 3. x.

Pulueris glycyrrhizæ,

Hyslopi ana 3. ij.

Misce, & cum saccharo fiat bolus, sumendus hora ante prandium. Sequenti die incipiat sumere infra scriptos syropos:

R. Syrupi violacei compositi Mesue

Mellis rosacei colati ana 3. j.

Aquæ tussilaginis 3. iij.

Misce pro vno syrupo, & sic pro aliis. Post syroposumat alterum duorum medicamentorum, prout ille feliciter succedet. Alterum tale erit:

R. Floris cassiae 3. x.

Agarici praeparati 3. ij.

Misce, cum saccharo fiat bolus, Alterum:

R. Rhabarbari electi 3. ij.

Spicæ gr. v.

Irrorentur vino albo aromatico, & infundantur in aqua tussilaginis per horas decem: deinde facta diligenti expressione & colatura, adde agarici optimi praeparati 3. iij. Syrupi rosacei solutiui 3. ij. Misce, & fiat potio breuis, danda in auro-ra cum custodia. Ista erunt annuae purgationes. In mediis autem temporibus, laudo etiam quòd frequenter aliquidumat, quod leuius purget, ne scilicet excrementa aggregentur. Purgationes autem erunt, vel quales dictae fuerunt in capite de Diæta, vel quòd assumat cassiam simplicem hora vna ante prandium vnicuique pondere: erit enim medicina facilis, pectori & hepatis vade conueniens, quae euacuabit sine exiccatione, a qua tanquam a pestifero veneno abhorreat oportet. Laudarem ergo praecipue, si suus ventriculus toleraret, & nihil aliud impediatur, sicut febris, vel inflatio hypochondriorum, vel dolor capitis, a quibus Deus ipsum custodiat: laudo, inquam, istis non impediens, ut post Autumnalem purgationem manè bibat lac asininum, asinae quam fieri potest sanissimae, & iuuenis, neque multum distantis a partu. Bibat autem manè, non hora syrupi, ut male consueuerunt alij, sed hora tertia diei, postquam reddiderit sua omnia excrementa consueta, & bibat cyathum, vel duos, etiam tres, quantum scilicet suus ventriculus bene tolerare potest. Postea abstineat a cibo, donec bene cognouerit lac esse perfectè concoctum, & fame prouocetur ad cibum, tunc modicè prandebit: erit enim hora tarda, hortorque ut sit contentus pro prandio iusculo hordeaceo cum saccharo, & postea conuenit vberius, seruando quae dicta sunt in capite de Diæta. Perseueret in hac lactis potione vsque ad 15. dies, magis tamen aut minus, prout melius vel deterius tolerabit. Istud erit remedium efficacissimum ad humectandum corpus, & nutriendum, & reuocandam famem, quod etiam verè poterit iterari, imò & aestate, & quotiescunque libuerit, si modò prosperè illi successerit, ut spero. Haec de purgantibus, quae per os sumi debent. De lenimentis autem, vel cerotis exterius applicandis, nihil scribo, in illis enim parum confido. Quantum

verò attinet ad opus chirurgicum, in primis mihi placeret, si catarrhus perseueret, ut facta purgatione Autumnali applicarentur vesicatoria capiti, & excitaretur vesicae & crustae, quae postea omni di-

Vesicatoria.